

tationem in monte sanctae Gertrudis consilio tam Cleri quam ministerialium nostrorum beneficiis ad honorem Dei et Ecclesiae nostrae pro posse nostro promovimus et inter reliqua decimas duarum domorum in Erpincfen quatuor solidos solventes Domino inibi militantibus contradidimus, Sicconis et Ministerialis nostri beneficium decimam scilicet in Andervenne marcam solventem et duas amphoras butyri, et jugerum unum in aquilonari parte montis ipsius et mancipium unum in facie Ecclesiae Deo ibi servientibus delegavimus, et quia casus praeteritorum cautos nos facit in futurum omnem adversantem et contradicentem atque piis studiis nostris quolibet modo insidiantem auctoritate Domini nostri Jesu Christi et Beati Petri anathematis gladio percutimus atque perpetuae ultionis reum diabolica sorte dampnamus. Hujus rei Testes sunt. Elvericus Praepositus. Werno Abbas Iburgensis, Thiemo Decanus, Sigebodo, Gerbertus, Thiethardus, Gerhardus Praepositus, Sancti Joannis, Gysilerus, Hertgerus. Ministeriales Hugo, Everhardus, Tiedericus de Lückenbeke, Folmarus et Thiedericus, Adolfus et Walbodo, Iser Otelricus, Frithericus, Hartbertus. Acta sunt haec Anno Dominicae Incarnationis MCLXIII. Indictione octava.

LXIII.

Dotatio Altaris de 1169. (ex aut.)

Philippus Osnaburgensis vocatus Episcopus. Universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris in Domino salutem. Noverit universitas fidelium, quod ego Philippus Osnaburgensis vocatus Episcopus devotione fratris Thiethardi et amore Theosebiae provocatus altare unum in domo Beati
 - - - constructum cooperante Spiritus Sancti gratia Consecravi, quosdam etiam redditus ad idem altare contuli, quos posteritati consulens subsignavi. Siquidem mansum unum in Parochia Anchem
 in